

Fr 54 (28)

X 204 7328

1
iv, Zb
870

RECTOR
ACADEMIÆ LIPSIENSIS
ad
FUNUS
*VIRI NOBILISSIMI, EXCEL-
LENTISSIMI, ATQVE EXPERIENTISSIMI,*
DN. MICHAELIS
ETTMULLERI,
PHILOS. ET MED. D. CELEBERRIMI,
BOTANICÆ PROF. PUBL. ORDINARIII,
CHIRURGIAE EXTRAORDINARIII, FACULT.
MEDICÆ ASSESSORIS GRAVISSIMI, ET
PRACTICI LONGE FELI-
CISSIMI.

POST HOR. I. SOLENNITER DEDUCENDUM
PROCERES CIVESQVE ACADEMICOS
QVAM FREQUENTISSIMOS ADESSE
CUPIT.



S.



RECTOR

ACADEMIE LIPSIENTIS

ANNO
MDCCCLXXII

VIRI NOBILISSIMI, EXCEL-

LENTISSIMI, ATQUE EXPERIENTISSIMI

DN. MICHAELIS

ETTMULLERI

PHILOS. ET MED. D. CHERBURGI.

POTANTICE PROF. PUBL. ORDINARI

CHIRURGIAE EXTRAORDINARI, FACULT.

MEDICAE ASSessoris GRAVISSIMI, ET

PRACTICI LONGE FEL-

CISSIMI

POST HOR. A. SOLEMNITER DEDICANDUM

PROGERES GIVESSOVE ACADEMICOS

QVAM FREQVENTISSIMOS ADESSE

CUPIT.





Σωτήρας seu Servatores, ut Romana vox habet, appellabat Gens græca, qui Rempubli-
cam graviore aliquo periculo liberârunt, &
benè de omnibus erant meriti. Sic Antio-
chus I. Rex Syriæ, cùm Gallos, qui post
Brenni eladem in Asiam longè lateqve irru-
perant, feliciter profligasset, Σωτήρης co-
gnomentum accepit, qui & in ipsa pugna non alia quam tes-
tera Medica fuerat usus. Cùm enim ad manus jam ventum
esset, nec satis prosperè intio pugnaretur, resqve adeò in-
genti versaretur in discrimine, vidisse Antiochus in quiete
se dixit Alexandrum M. monentem, ut pro signo quodam
Sanitatis Symbolum, τὸ ὑγιαίνειν, proponeret; id quod pro
testera Tribunis daret, ac militum lacernis insideret; sic
enim fore, ut certa faciliq; victoria potiretur; quo adhibito Sym-
bolo & equitatus Gallorum, Theodotæ Rhodii ductu, disiectus
est. Idem ex Seleucidis Σωτήρης cognomen Demetrius I. ob
ejectum Heraclidem, occisumq; ejus fratrem Timarchum Ba-
byloniæ præfectū obtinuit, testibus tribus numismatis à Johan-
ne Foy Vaillant in Historia Regum Syriæ publchrè repræsentatis.
Sed nolumus in re omnibus, certè vel leviter eruditis nota,
ampullari. Idem nominis & Medicis tributum olim, ex Lu-
ciano & Clemente Alexandrino liquidissimè constat. Istis
autem Soteribus vel Servatoribus non mortuis tantum, sed
viventibus quoque, referendæ gratiæ statuas ponere, easque
thure & vino honorare Veteres consueverunt. Hoc cultus
enim genus Dioni, qui Dionysium Tyrannum ejecit Sicilia,
hoc Q. Flaminio etiam; qui libertatem suam Græciæ reddi-
dit, teste Plutarcho in eorum Vitis, fuit præstitum. Et quis
nescit, quæ Tullius de M. Marcelli statua Soteris nomine à
Syracusanis dedicata, in Verrinis refert? Si Eusebio, diligen-
tissimo Historiæ Ecclesiasticæ scriptori, credas, etiam Syro-
phœnissa illa, seu Hæmorrhousa mulier CHRISTO SAL-
VATORI vivo ac videnti, cùm morbo suo literata ab illo
esset, in civitate Panneade statuam posuit. Neque mirum
): (2 quic-

quequam est (addit ille) *Gentiles, qui opem aliquam à Servatore nostro acceperant, hoc fecisse, cum Apostolorum ejus Pauli & Petri, ipsiusque adeo CHRISTI imagines coloribus depictas asservari ipsi viderimus, veteribus scilicet gentili more quasi Servatores suos isto honore prosequi solitis.* Quod si itaque Σωτήρας quosque ac Servatores tam Rerumpubl. quam humanorum corporum Statuis atque imaginibus honorare mos fuit, sane id honoris vel maximè debetur Excellentissimo & longè felicissimo Medico, MICHAELI ETTMULLERO, in ipsâ ἀκμῇ & vitæ & famæ non sine deplorando Academiæ, imò totius orbis literarii, damno nuperimè extincto. Nam uti ob faustissimam tot corporum malè affectorum curatorum Σωτήρη nomen promeruit jamdudum, ita nunc leto datuâ præter cæteros dignus est, quam non imber edax, non Aquilo impotens possit diruere, aut innumerabilis Annorum series, & fuga temporum. Sed Statuas ei non unas Posteritas statuæ. Statuæ intetèa qualiscunqve vel sola laudatissima Ejus vita esse poterit, quam absque omnibus verborum pigmentis ruditer breviterque delineatam nunc damus. Natus est sub Tiliis d. XXVI. Maj. Anno ær. Chr. M. DC. XLIV. Parentibus adhuc superstites, & Patre quidem, MICHAELE ETTMULLERO, optimæ notæ & cive & mercatore apud Lipsienses, & matre longe moratissima CLARA MAULIA. Vividam indeptus indolem amare literas maturè cœpit, mirificeqve in illis sub moderamine Viri Clarissimi M. TOBIÆ WACHSMUTHII, nunc Pastoris in vicinia apud Clebergenses fidelissimi, per sexennium profecit. Musas autem Gratiis, h. e. Philosophiam humanioribus cùm maritasset, ad Medicinam jam tum Genio quodam duci videbatur. Solet enim tempestivè id se exerere in adolescentibus, in quo summum aliquando excellentiæ apicem sunt consecuturi. Aptus jam visus Academicis pulpitis adeundis (talem enim & RAPPOLDUS, tum Varro & Maro Lipsiensis, & totus Philosophorum Ordo, à quo laurum primam retulit, pronunciarat) An. LX. hujus seculi d. XI. Jun. in vicinam concessit Leucoream, hospitemque ibi LEDERERUM, insignem Jctum, vitæ studiorumque rectorum M. JOH. WOLFGANGUM RENTSCHIUM, nunc eloquentissimum Celsissimi Marchionis Brandenburgico-Baruthini Ecclesiasten aulicum, habuit, sub quo & de *Maculis & Faculis Solaribus* postquam in Mathematicis sub

STRAUCHIO, Polyhistore ac Theologo celebratissimo, se probe exercitasset, publice disceptavit. Patriæ Anno LXI. mense Augusto redditus cœptis institit ferventissimus, reportatoque sequente anno supremo Philosophiæ bravio cum cæteris ejus sive speciebus sive partibus, tum Mathematicæ inprimis ac Scholasticæ doctrinæ aliquantisper vacavit; quamquam operæ Scholasticis impensæ non semel ipsum pœnituit, eò quod gemmarum parum vel plane nihil in barbaris illorum fimetis reperisset. Habita de *Conjunctionibus magnis* Disputatione, quam Præses tuitus est, se Divæ Hygeæ devovit, cumque sacris ejus per Baccalaureatum Medicum ritè initiatus esset, de *Singularibus* sub umbone GOTHOFREDI WELCSHII, Medicorum Lipsiensium nunc principis, invicte disputavit. Vivebat id temporis adhuc dum incomparabilis ille atque apud exteros quoque decantatissimus Chymicus, JOHANNES MICHAELIS, celeberrimi WELSCHII in Decanatu Gratioso Antecessor. Huic igitur se totum dedit, ab hoc etiam in privos susceptus est lares, ut ab ore ejus penderet jugiter, Bibliothecam etiam excuteret penitus, pharmacaque & præparare & dispensare condisceret. Sed turbati institutionis hujus circuli tum praxi concatenatissima Viri experientissimi, tum fatali illa apoplexia, qua in itinere Schlaccowerdano fuerat correptus. Suo igitur remigio rem cœpit gerere, & præmissa Febrium doctrina affectus capitis, pectoris, abdominis ac speciatim mulierum ordine atque summa cum cura perverstigavit. Quamquam nec aliorum allucentes sprevit faces. Intererat enim Scholis Medicis D. MICHAELIS HEILANDI, sed in Almam Gissensem mox evocati; Chymicis item MICHAELIS jam laudati, & SIGISMUNDI RUPERTI SULZBERGERI, nec non LEONHARDI URSINI Botanici. Quibus excellentissimis Viris cum & inusitatum discendi fervorem, & magnam eruditionis Medicæ copiam ostentasset, ad altiora subsellia occupanda unanimis ab illis celeusmatis fuit instigatus. Sed ut dignum omnibus sese publicè approbaret, primùm sub D. MARTINO FRIDERICO FRIESIO, tum Physiologo optimo, de *Tinctura Coralliorum*, dein, exantlato rigorofo, quod vocant, examine, pro Licentia Medica de *Morsu Vipera*, sub Procancellario D. PAULO AMMANO, Botanico famigerabili, disputavit. Axiomate hoc maectatus Italiam, cujus visendæ desiderio jam dudum flagraverat, meditabatur. Itaque Anno LXVI. mense

):():(

Augu-

Augusto per Jenam, Pabebergam, Noribergam, Augustam Vindellicorum, Monachium, Oenipontum, Brixiam & Tridentum ad fulgidissimam illam maris Adriatici gemmam, Venetias tetendit. Sed quoniam Venetorum ingredi ditionem ob grassantem Francofurti ad Mœnum pestem prohibebatur, Tridentum revertēbat, & Veronâ visâ Paduæ per menses V. confidebat, ubi Germanicæ Nationis Assessor ac Bibliothecarius esse meruit. Sectionibus illic corporum cum satis & adfuisse & præfuisse, Venetias demum adiit, hisque accuratè perlustratis per Ferrariam, Bononiam, Rimum, Anconam, Lauretum, Spoletum, aliasque urbes Romam commigravit. Huic perreptandæ menses dabat tres, sic tamen, ut Neapolin interea temporis excurreret, & ejus quoque admiranda intueretur. Roma valere iussa Viterbium, Senas & Florentiam, urbem Italiæ pulcherrimam, abiit; quò æstuosa Julii tempestate cum pervenisset, subsistens paululum Lucam, Pisas & Liburnum, portum illum clarissimum, exspatiabatur. Inde Bononiam denuo, postque hanc Mutinam, Regium Lepidum, Parmam, Placentiam, Mediolanum, Genuam, Savonam & Turinum salutavit; superatisque Alpibus Lugdunum Gallorum, & mox Lutetiam Parisiorum se contulit, ubi per septem admodum menses penes subactissimum Chirurgum non sine magno fructu fuit hospitatus. Relicta mense Martio Anno LXVIII. Lutetia per Rothomagum ac Julionam ad Oceanum properabat Germanicum, vectusque per hunc in Angliam, post Londinum, Metropolin perlustratam Oxonii per novem hebdomadas, ut & Anglicæ Lingvæ sibi compararet notitiam, & Bibliothecæ Bodlejanæ Cœmelia contueretur, fuit commoratus. Londinum reversus substitit & hic paulisper, factaque postmodum transfretatione utriusque Belgii, Hispanici puta, atque Fœderati nobiliores urbes percuravit, hyemem Lugduni Batavorum transacturus, nisi ab optimo Patre ad Lauream in re Medica summam capeendam (nam dies promotionis instantissimus erat) domum fuisset revocatus. Paternis victus monitis mutavit consilium, & quando maturato opus esse intellexerat, salutatis in via Osnabruga, Minda, Hamburgo ac Magdeburgo Lipsiam rediit, postque tot rerum discrimina, quibus peregrinans quisque expositus esse solet, suprema Medicinæ præmia retulit, primo inter competitores suos loco constitutus. Nactus igitur campum, in quo vires periclitari suas posset, post
habi-

habitam pro Loco de *Chirurgia infusoria* Disputationem, non
 ægrotis tantum fidelissimam, felicissimamque præstitit ope-
 ram, sed & Studiosis Hygææ consecraneis splendidissimam præ-
 luxit facem. Scholas enim Medicas aperuit, & talenti sibi di-
 vinitus concessi participes etiam alios ad extrema usque red-
 didit. Disputationes etiam de selectis materiis doctissimè con-
 scriptas exposuit subinde publicè, magnamque sui admiratio-
 nem tam apud Germanos, quam exteros excitavit. Nec de-
 fuere diligentia tam raræ & exquisitæ præmia. Nam præ-
 terquam quod jam Anno L X V I. in Medicorum coop-
 tatus esset ordinem, Anno L X X X I. Botanices Professore
 Ordinarium & Chirurgiæ extraordinarium jussus est agere. Sed
 de ægrotis quid dicemus, quibus per duodecennium & ultra
 fuit opitulatus? Sanè his semper tanquam Soter, imò tan-
 quam Angelus (est enim homo homini Angelus nonne
Galenus κατ' ἀναγκάματα est *Angelus*?) nullo non tem-
 pore apparuit. Cæterum cum consortii maritalis indi-
 gere se intelligeret, felici fato consortem tori adeptus est Vir-
 ginem scitissimam, MARGARETHAM Viri nobilissimi am-
 plissimi que JOH. ERNESTI BOSII, Ædilis Lipsiensis, mino-
 rem natu filiam, eamque d. XXXI. Octobr. anno. LXXI.
 solenniter sibi sociatam. Nec benedictionis divinæ in sva-
 visimo hoc matrimonio fuit expers, factus quippe pater li-
 berorum quinque, MARGARETHÆ, MICHAELIS
 ERNESTI, JOHANNIS JACOBI, JOH. GEORGII,
 & GOTHOFREDI. Verum uti mel omne humanæ vitæ
 conturbari felle aliquo solet; ita & vita ETTMULLERI no-
 stri, cum vel felicissima videri posset, suos patiebatur manes. Nā
 Hymenæis cum castissima BOSIA vix celebratis, febris pe-
 techiali, qua septem alios liberarat, correptus ipse, in ultimis,
 quod ajunt, tegulis consistebat. Felli præterea ipsi erant tot
 mortes charissimorum pectorum, filiolorum imprimis JOH. JA-
 COBI & JOH. GEORGII, Avi item materni JOH. JACOBI
 MAULII, aviæ paternæ nonagenariæ, & cujus paterno in
 sinu per X. annos confederat, venerandi foci BOSII. acce-
 debat denique anno LXXX. febris cum scorbuto, malo hy-
 pochondriaco aliisque symptomatis conjuncta, qua cum per tri-
 mestre & ultra ipsi erat conflictandum. Et hic ille morbus
 Viri excellentissimi fatalis est, qui mitigari quidem quoquo-
 modo potuit, expelli planè ac profligari non potuit. Nam
 ex illo tempore non optimè valuit, quin vires decrescere indi-
 ces persensit, sudoribus nimis, sicca tussi & calore depascente

mirum quantum vexatus. Prodidit tandem se morbus complicatus nec vanè licebat colligere, subesse non pulmonum tantum vomitum, sed & scirrhum lienis atque epatis, nec non obstructionem mesenterii pertinacissimam; & quoniam his morbis appetitus stomachalis prostratio, præcordiorum anxietas, ac difficultas respirandi veluti succenturiabatur, hæctica febris laborare Medicum incomparabilem satis certò constabat. Clinicus autem factus est sub anni superioris terminalia, cumque Sotera in terris nullum reperire pro vita conservanda posset, (quamquam nec cura Uxoribus exquisitissima, nec optima Medicorum defuere auxilia) ad Sotera generis humani unicum JESUM CHRISTUM se convertit, divinamque ejus opem, exhaustis jam omnibus viribus, quam sitientissime speravit, suspiravit. Audivit etiam Soter Sotera, huncque d. IX. Martii in Soteram, non P arthiam illam quidem, sed cælestem & ultramundanam, ubi ipsa Salus habitat, placidissimæ mortis beneficio evocavit. Atque hæc statua nostra esto à nobis, nunc quidem, Soteri meritissimo huic posita. Neque enim silentio insepelietur, qui tot excellentes reliquit discipulos, & ob inusitatam rerum Medicarum scientiam etiam apud externos existimationem ac famam sibi comparavit. Nos honorem honore ut cumulemus, funeri Ejus hodie post horam I. deducendo exequias solennissimas decernimus, utque stipatissima frequentia condecoratum id eant PROCERES CIVESque omnes ACADEMICI, ob ingentia Soteris hujus merita, quibus & Urbem hanc & Orbem literarium universum sibi devinxit, monemus ac rogamus. PP. Lipsiæ d. XIII. Martii. Anno M. DC. LXXXIII.

L I P S I Æ,

Typis Viduæ GALLI NIEMANNI.



Fr 54 (28)

X 204 7328

Zb
870

RECTO
 ACADEMIÆ LI
 ad
 FUNUS
 VIRI NOBILISSIM
 LENTISSIMI, ATQVE EXP
 DN. MICH
 ETTMULL
 PHILOS. ET MED. D. CH
 BOTANICÆ PROF. PUB
 CHIRURGICÆ EXTRAORDIN
 MEDICÆ ASSESSORIS GR
 PRACTICI LONG
 CISSIMI.
 POST HOR. I. SOLENNITE
 PROCERES CIVESQVE
 QVAM FREQVENTISSI
 CUPIT.



S.

